



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XLVI. Stratagemata obsidentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

in quam coniecerant, ostenderunt. Quis enim ad eod vacors est, ut eo se demittat, ut ex hostium voluntate, & arbitrio rem gerere cogatur, at qui ad pugnam cogitur, is jam est in hostium potestate. Quis probabit Juliani temeritatem stolido consilio sibi, & toti imperio noxio, naues exurentis, ut miles captivus fortius pugnaret? Statimque, ait Ammianus libr. 23. transgressus, pontem auelli praecepit, ne qua militum ab agminibus propriis, revertendi fiducia remaneret. Et deinde. Flumine laeva relicto, insausis ductoribus praeviis mediterraneas vias arripere cito proposuit gradu, & tanquam funesta face Bellona subiectis ignibus exuri cunctas iusserat naues praeter minores duodecim, quas profuturas pangendis pontibus disposuit vehi carpentis: idq. putabat utiliter ordinasse, ne relicta classis vsus hostibus foret, aut certe, ut ab expeditionis primordio factum est, armorum fere, viginti milia intrahendis occuparentur isdem navibus & regendis: Deincum metuens sibi quicq. mussaret, monstraretq. perspicua veritas, quod repulsus forsitan ariditate vel altitudine montium ad aquas redire non poterit miles, tortig. persugae aperte faterentur se sefellisse, concursu maximo extingui iussa sunt flammae. Et quoniam ignis auctus immaniter plerq. consumpsit, duodecim tantummodo potuerunt intacta seruari, quae ut possint custodiri, discreta sunt.

Hæciple exercitus, & Julianus culparunt, mæstitia enim pro fortitudine incescit omnes.

In hoc ergo periculum nemo prudens se coniecit, hoc potius agendum est cuique, ut suo commodo dimicare possit.

Quanto prudentius Hannibal cum Marcellum timeret, non coniecit se in necessitatem absolutam, ut victor nihil nisi mors superesset, sed aciem ita disposuit, ut in loca munita posset habere receptum.

Addo & illud: victum te esse, si hostis callidus in pugnandi necessitate te constitutum putet, si enim non nisi suo commodo pugnare velit, sine dubio vicit.

CAPUT XLVI.

Stratagemata obsidentium.

§. 1. **A**D occupandas vrbes celeritas maximum momentum habet, nec enim obsessi parare necessaria possunt, & omnia trepidè faciunt. Cato iter quadridui duobus diebus clam perfecit, & oppidum in Hispania firmum occupavit. Nulla ciuitas inopinato obsessa diu vim sustineret, quia necesse est aliquid necessariorum deesse. Nulla tam infirma est, quæ non difficulter vincatur, si fatum suum prauidit, si parauit vires, si obstinavit repugnare. Sic tamen parati, nunquam securi esse possunt.

§. 2. Lucenses sanè à Domitio Caluino nimium facile decepti sunt, cum enim frequenter cum exercitu muros circumiret absque oppugnatione, putarunt id eum exercitationis gratia facere, cumq. non cauerent, subito mœnia occupauit: Semper itaque aliquid Duxaget, quo in errorem eos inducat: & si non credent, varia tamen suspicabuntur.

§. 3. Hannibal Romanorum habitu multos praemittens Latine scientes cepit vrbes. Antiochus sic castellum Suendam in potestatem redegit: frumentatoribus enim occisis milites suos eorum vestibus induit, & cum frumento remisit. Thymarcas Aetolus occisi Charmadis chlamyde & galero vsus pro eo in Samiorum portum receptus est. Arcades castellum Messenorum obsidebant, audito ventura alia praedia, arma habitumque similem illis sumserunt, atque ut admissi omnia occuparunt.

Si incenderis aliqua in vicino, ciuesque ad restinguendum effundantur, ea in trepidatione vrbs capi

poterit. Sic Cariae vrbe luco & fano Diana incenso Cymon Atheniensis occupauit. Nunc ideò prouisum, ut pars ad incendia pars ad arma concurret.

Milites alieno habitu vrbi immittere jam olim fuit vsitatum; Epaminondas in Arcadia cū die festo mulieres circa vrbe vagarentur, muliebri veste milites suos immiscuit, qui sub noctem recepti in vrbe, occuparunt portas, suisque aperuerunt.

Capere solent quoque vrbes, militibus negotiatorum habitu mistis. Aristippus Lacedaemonius sic Tegeam occupauit, cum iumenta cum saccis frumentarijs mitteret.

Thebani Sycioniarum portum occuparunt, clausis in naui militib. cum supra tabulata merces essent.

Mainius Diepam cepit per simulatos transfugas. Alanfonius egressum simulans, cum seruatorum quidam crus se fregisse clamaret, equitesque ac pedites subisterent, regressus pene Antuerpiam occupauit, sed ciuium viribus tandem pulsus excessit. Nimis perere rem tantam aggressus est.

Vrbe per aves domesticas etiam incendunt: de Haddingo narrat Ranzouius libro 4. cap. 2. *Quin Aues incendunt & huiusmodi dolo vrbs capi poterit: Si aues, quae vrbi obsessa familiares ac domesticae sunt, inque illius domibus nidificent, per aucupes capiantur, & pedibus pennisque istarum fungi igni appendantur, & sic dimittantur. Ista enim ad domorum consueta hospitia reuersa vrbe passim incendunt. Ceterum incendium non solum ingentem vrbi cladem afferet: verum etiam oppidanos coget, ut ad restinguendum ignem vndique accurrentes, Stationes suas pro muris ac portis suis defendendis, relinquunt: quae propugnatoribus suis destituta tum expugnari poterunt. Hoc artificio Haddingus Grami Regis Daniae filius, Dunam vrbe expugnauit. Cum enim ob altissima valla ac mœnia potiri ipsa non posset: diuersi generis aues loci illius domicilis affuerat per aucupios peritos prehendi earumque pennas accensos igne fungos suffigicurauit: quae nidos suos repetentes incendio vrbe compleuerunt. Huius exstinguendi gratia concurrentibus oppidanis, vacuas defensoribus portas Haddingus expugnauit, adeoque totam vrbe cepit.*

Hæc quæ sine perfidia perjurioque fiunt, utique proditio v. imitari in tempore potest Imperator. At per fraudes, perjurioque grassari impium est, & detestabile. Et eiusmodi tamen plura sunt, quam iusti stratagematis exempla.

Milo Tarentum pactus salutem prodidit, Sofistratus Marcello Syracusas, Tarquinius patri Gabios, Eoneus Hannibali Tarentum, Mandro Pirata Ephesum Lyfimacho, Zopyrus Babylonem Cyro, historia gentiliū habent infinita exempla.

Fame ad deditionem munitissimæ vrbes compulsa sunt, quæ aucta est stratagemate. Fabius tempore sementis à Campania recessit, ut plus frumenti in sationes conferrent, deinde rediens sata contriuit, sic Antigonus quoque Athenienses afflixit. Alii permiscere multos in vrbes obsidendas confugere, ut frumentum citius absumeretur. Sic Alexander Leucadiam cepit.

Dolomalo per speciem pacis Dionysius Rheginos & Himeraeos per famem domuit, pactus enim foedus dataque pace, ut exercitui necessaria ministrarent, exhausto frumento eos ad deditionem coegit.

Phalaris argutiore nequitia loca quadam munita cepit; nam inita per simulationem pace, cum ad pigmus, & fiduciam amicitiae sua apud eos frumenta collocaret, effecit, ut propria frumenta oppidani absumerent, venderentque; Tyrannus autem data opera tectorum cameras aperiri iusserat, ut suum frumentum corrumperetur; itaq. initio æstatis obsedit, & mox cepit.

Nihil

Inopinata
obsidio fe-
lix.

Semper a-
liiquid ten-
randū est.

Varia bel-
lorū frau-
des.

Incendia e-
licunt ci-
uos.

Nihil vrbes æque conturbat, quam timor longæ obsidionis, neque enim fere animus defendendi superest, nisi cum breui hostem abscessurum, vel subsidia ventura sperant. Hinc Clearchus Lacedæmonius cum sciret Thracas se ea spe tueri, quod obsidenti alimenta defore arbitrarentur, captiuum in legatorum aspectu occidi, & carnes eius per cōtubernia quasi ad escam distribui iussit; quare aduersâ se dediderunt.

Cum firmiore præsidio oppida tenentur, quam ut occupari queant, agendum est ut illa detrahantur, quod varie effici potest. Primo si timorem & desperationem simulans discedas, ita vrbes in Africa per Masinissam, & Numidas in potestatem Scipio redegit, ciues enim cum vix in summo periculo præsidium accipiant, discedere perfuncti, ut eo leuentur, optant.

Deinde si vnam urbem multi focij defendunt, si eorum agros populetur exercitus, aut terrorem inferat, mox ad propria defendenda dilabuntur. Eo modo Delminium Scipio occupauit, simulata enim eius oppidi capiendi desperatione, & ad alia se accingi, effecit, ut omnes qui consensu id propugnabant, euocarentur, & ipse vacuam defensoribus urbem ingressus est. Eadem arte Illyriorum caput Pyrrhus cepit, & Com. Rufinus Crotonam, nisi quod hic per fugæ periculis simul usus est.

Fabius Maximus cum Etruscis, Vmbri, Samnitibus, Gallis pugnaturus, Fuluium & Posthumium iussit ire ad Sittium, ita ad sua defendenda Vmbros & Etruscos auocauit.

§. 4. Obsidentium concordia tenenda, vitandæ suspiciones.

Dominicus Michael Venetorum dux, cum in Tyri obsidione suspectus esset, carinarum tabulas ad Varmundum in castra misit, ut se ostenderet de navigatione non cogitare.

§. 5. Scitum quoque est suum pro alieno subsidium inducere. Iphicrates cum intelligeret Corinthum noctu inducendum præsidium Laconicum ad portas expectans cum ultimis ingressus est, eosque cecidit.

§. 6. Si frustra vrbs obsideatur cautissime recedendum est.

Philippus cum frustra Carras obsideret, nec facile tormenta reducere posset, iussit ea dissolui, sed eo sono, quo solebant compingi, Carrenses arbitrati muros verberandos acrius se muniebant, interim ille discessit.

§. 7. Dura necessitas cum villæ propriæ oppidaque incenduntur, ne iuuent hostem: Persis id vstitutum fuit, Biturigibus id adeo persuasit Vercingetorix apud Cæsarem lib. 1. ut vno die viginti amplius oppida exusta fuerint. Idem apud Ammian. l. 24.

§. 8. Nec minor querela cum infirmi dimittuntur, aliquando tamen necessario fit, Galli id faciunt, valitudine & ætate imbecilles exire iubent. Cæsar l. 7. itemq; l. 8. simul omnia impedimenta dimittunt.

§. 9. Aquæ penuria multis in locis dedere ciuitates inuictas compulsi, Ita Betulia in extremum discrimen venit, vnius fœminæ prudenti pietate seruata.

Puteos Scipio Hispaniensi bello fodit, ut refert Appianus, sed falsa aqua crebro reperta est, Aquas inuenire docet Vitruuius l. 8. c. 1. Cassiodorus l. 3.

Miserum est, sed tamen vstitutum aquam ad mensuram dare. Joseph. l. 3. belli id fecit.

§. 10. Munitiones præcipuum est præsidium. Muros non directos sed angulosos faciunt. Veg. lib. 4. c. 2. Ambitum muri directum veteres duci noluerunt, ne aditus arietum esset dispositus, sed sinuosis anfractibus, tactu funicamentis claudere vrbes; crebrioresq; turres in ipsis angulis ediderunt propterea: quia si quis ad murum tali ordinatione constructum, vel scalas vel machinas voluerit ad mouere, non

solum à fronte, sed etiam à lateribus, & prope à tergo, veluti in sinum circumclusus opprimetur.

Nunc munitiones & propugnacula procurentia efficiunt, & longiore spacio seiungunt, quia tormenta attingunt facilius eos, qui intermedia occupare volent.

Munitiones olim inuictæ multæ, nunc vix vllæ. Natura, aut arte, vel utroque munitio constat. Vegetius lib. 4. cap. 1. Vrbes atque castella aut natura muniuntur aut manu; aut utroque, quod firmitus ducitur. Natura aut loco edito vel abrupto, circumfuso mari sive paludibus, vel fluminibus. Manu, fossis, ac muris. In illo naturali beneficio, turisimul eligentis consilium; in plano quaritur fundantis industria. Videmus antiquissimas ciuitates ita in campis patentibus constitutas, ut deficiente auxilio locorum, arte tamen & opere redderentur inuictæ.

In obsidione urbium fere hoc seruatur, ut omnes aditus & egressus claudantur, & præcipua sit in castris firmitas, sicut enim interdum minore milite magnam multitudinem concludere possunt.

Per fossas adire mœnia solent, quia nulla arma possunt hosti resistere, si tormentis in subeuntes detoneat.

Cum muri verberantur continuo id faciunt, ut vno die plus deiciant, quam duobus diebus reparare possint. Noctu etiam interdum eiaculantur, ut munientes impedian.

Cum oppugnatur ciuitas, omnes in ordine constiunt, ut si repellantur aliqui mature noui succedant. Dato signo oppugnandi, minoribus tormentis tam diu verberantur ruinae deiectioni muri, donec ad manus ventum sit, cumque pauci simul pugnare possint, si præsidium animosum est, vix capere urbem, nisi fatigatione obsessorum valent.

Quod ad malleolos attinet, nihil est, si cum globis pyreis comparentur. In lasu latrunculorum, quocunque modo incipiat, nunquam eodem modo finitur; Ita quoque in bello contingit & obsidione.

§. 11. Metu solo multa oppida capiuntur; Philippus ad Castellum Trinassum terram aggeri iussit, illi suffossos se cuniculis arbitrati, manus dederunt.

Pelopidas Thebanus Magnetum duo oppida obsidens, ab vno coronatos equites, captiuorumque habitu venire iussit, qui alterum captum affinharent, itaque illud, quod obsidebat timore se falso, alterum vero, se dedit.

Metu solo etiam obsidio soluitur. Cato cum Vergetibus auxilia nec mittere posset, nec negare vellet, militum tertiam partem naues ascendere iussit, & causati ventum, redireque, sola fama auxiliorum socios liberauit. Tynnichus Theudoliam urbem tubarum sono liberauit, cum magnam classem aduentare hostis credidisset.

§. 12. Vegetius libro quarto, cap. vigesimo quarto. vsum cuniculorum magnum ostendit. Aliud genus oppugnationis est subterraneum, atque secretum, quod cuniculum vocant: à leporibus, qui cauernas sub terrâ fodiunt, Cuniculi ibique conduntur. Adhibita ergo multitudine ad speciem metallorum, in quibus auri argentique venas Bessorum rimatur industria, magno labore terra defoditur, cauatoque specu in exitum ciuitatis, inferna quaritur via. Quæ fraus duplicibus operatur insidiis. Aut enim penetrat urbem, & noctu non sentientibus oppidanis egrediuntur per cuniculum, referatisque portis suorum agmen ducunt; hostesque in ipsis domibus perimunt ignorantes: aut certe cum ad murorum fundamenta peruenerint, suffodiunt eorum maximam partem, & appositis siccoribus lignis ruinam muri tumultuario opere suspendunt. Sarmenia insuper iungunt, aliaque fomenta flammarum. Tunc preparatis bellatoribus subter ignem immittitur, combustisque columnis ligneis atque tabulatis muro subito corruente irruptione aditus referatur.

Y y

Galli

Galli scientissimi cuniculorum fuere, quod apud eos araria sectura sint, Cæsar l. 3.

Alexander cuniculis Gazam cepit; Fidenas & Veios sic oppugnarunt Romani. Fiebant cuniculi, ut ad interiora clam peruenirent. Sic à Castris in arcem Fidenarum itum est. Liuius libro quarto. Cuniculi ad Veios acti magno labore steterunt. Liuius libro quinto. Inde ad Veios exercitus ductus, densioraque castella facta: & à procuratoribus, quæ multa temere inter murum ac vallum fiebant, edicto ne quis iniussu pugnaret, ad opus militestradducti, operum fuit omnium longe maximum ac laboriosissimum cuniculus in arcem hostium agi captus, quod ne intermitteretur opus, neu sub terra continuus labor eosdem conficeret, in partes sex munitorum numerum diuisit, sena hora in orbem operi attributa sunt nocte ac die, nunquam ante omissum, quam in arcem viam facerent.

Hoc fere seruiant, ut cum cunicularij erupturi essent, alibi minas ostentarent, ut ad vana intenti vera pericula non sentirent.

Interdum murum solum suffodiebant & trabibus fulciebant, quibus exaltis concidebant mœnia. Nostro tempore mœnia, curres, propugnacula suffossa in altum eiulantur.

Interdum cuniculos simulant, cum effici non possunt. Carolus Neapolitanus Matronianæ arcis praesidio imposuit, cum enim cuniculos agere se simulasset, rudera aliunde aduehi curauit, & in conspectu eorum proijci, illi ex muri fundamentis esse arbitrati sese dederunt. Fulgosi. libro septimo, capite quarto.

Cuniculos
irritos facere.

§. 13. Cuniculos contrariis fossis inutiles reddunt. Interdum faxis & pice ingensa militem impediunt. Cæsar libro septimo belli Gallici. Trypho Alexandrinus in Apolloniæ obsidione vasis æneis suspensis explorauit, quæ hostes essent ingressuri, sonant enim ad fodientium ictus, eos vero aqua, stercoreque feruefacto occidit, Temiscyrani viros & apum examina cuniculis immiserunt. Cognouisse autem cuniculum vicisse est. Ateum vas sonat, si subterfodias, sic faber ararius in Batcæ obsidione agnouit cuniculum, pelues & tympana nostra satis si pisum imponas loca illa indicant.

Flumina alio
deriuare.

§. 14. Cuniculis affinis fluminum in alia loca auersio. Alexander, quod ante Semiramis fecerat, & de Cyro alij narrant, auerso Euphrate Babylonem cepit, id ne aduerterent agi hostes, Alexander aggerem struxit, cuius causa terram egeri Babylonij existimarunt.

P. Seruilius Isaurum auerso flumine ad deditio- nem coëgit; Cæsar Cadurcorum ciuitatem fonte per cuniculos siccato, & fluminis usu per sagittarios intercepit.

Clithenes improbius, cum enim aquæ ductum Criseorum intercidisset, affectis siti restituit, sed vndam helleboro venenauit, eosque profluvio ventris occidit.

§. 15. Aliæ ignibus & fumo circumfuso captæ sunt. Turca Famagustam occupauit, magnum aceruum tædæ accensæ congesterunt, qua facillime ardet, & fumum pestiferum fetidumque exhalat, additi fasciculi, & tigna, dumque quatuor dies ardet, nec extinguere potest, cuniculos interim agunt, & ad conditiones compellunt.

§. 16. Alexandrini Cuniculos quos Fredericus foderat ingressi milites eius occidunt: Pueros alij contra cuniculos fodiunt.

✱ ✱ ✱

✱

§. 1. **D**VAS obfidendi species Veget. l. 4. c. 7. recenset. Multa, inquit, defensionum, oppugnationumque sunt genera, quæ locis competentibus inferemus. Nunc sciendum est, obfidendi duas esse species. Vnam cum aduersarius opportunis locis praesidijs ordinatis continuis insulsi- bus impugnat obfessos. Alteram cum vel aqua prohibet inclusos, vel deditio- nem sperat à fame, quando omnes prohibuerit comestus. Hoc enim consilio ipse ociosus ac tutus fatigat inimicum. Ad quos casus, possessores, quantum leui suspitione pulsati omnem alimoniam victus intra muros debent studiosissime collocare, ut ipsi exuberet substantia, aduersarios inopia cogat abscedere. Non solum autem porcinam, sed & omne animalium genus, quod inclusum seruari non potest, deputari oportet ad lardum, ut adminiculo carni frumenta sufficiant. Aues autem cohortales, & sine impensa in ciuitatibus nutriuntur, & propter agrotantes sunt necessariae. Pabula equi sunt præcipue cogerenda, & quæ apportari nequiverint exurenda. Vini, acetæ, ceterarumque frugum, vel pomorum congerenda sunt copia, nihilque quod vni proficiat, hostibus relinquendum. Nam ut hortorum cura in viridarijs domorum vel arvis exerceatur, vtilitatis & voluptatis ratio persuadet. Parum autem proficiit plurimum collegisse, nisi ab exordio dimissione salubri per idoneos procuratores erogatio temperetur. Nunquam periclitati sunt fame, qui frugalitatem inter copiam seruare ceperunt. Imbellis quoque, atque acis propter necessitatem victus portis frequenter exclusa est: ne penuria premeret armatos, à quibus menta seruabatur.

Comestus,
& parcia.

Celeritas quoque ad omnia utilis est; quia vero in viribus utcumque firmis solent esse plures, quam excubiis occupentur, necesse est, ut omnem lapidem moueant, opera noua magna exsternant, omnia præparent. Nulla ætas, nullus sexus à labore excipitur.

Lacena bello Epirotico abscedere à viis noluerunt, sed pulchrum esse dicebant, Lacenis cum viris viuere, aut mori, itaque fossas ducebant, vulneratos fouebant, omniaque seruitia pugnantibus exhibebant.

§. 2. Cum vi ciuitas oppugnatur, ad primos impetust resistendum, sic enim facile crescit audacia obfessis. Veget. l. 4. c. 12.

Multis nunc opus est obfessis, puluere, ceterisque ad machinas pertinentibus, de quibus alio dixi loco.

§. 3. Quæ sint obfessis paranda monet Veg. l. 4. c. 8. Bitumen, sulphur, picem liquidam, oleum, quod incendiarium vocant, ad exurendas hostium machinas conuenit preparare: ad arma faciendâ ferrum viriisque temperatura & carbones seruantur in conditis: ligna quoque, hastilibus, sagittisque, necessaria reponuntur. Saxa rotunda de fluminis, quia pro soliditate grauiora sunt, & aptiora mittentibus, diligentissime colliguntur; ex quibus muri replentur & turres. Minima fundis suæ iustitialis vel manibus iacienda. Maiora per onagros diriguntur. Maxima vero pondere formaque, volubili in propugnaculis digeruntur, ut dimissa per præceps non solum obruant subeuntes, sed etiam machinamenta confringant. Rota quoque, delignis viridibus ingentissima fabricantur, vel inter cetera validissimis arboribus cylindri, (quas taleas vocant) ut sint volubiles lauantur: quæ per pronum labentia subito impetu bellatores sternunt, equosque solent deterere. Trabes quoque, & tabulata, vel diuersa magnitudinis clauos ferreos esse oportet in promptu. Nam oppugnantium machinis per alias machinas consuevit obfisti, præcipue cum subitis operibus addenda sit muris vel propugnaculis altitudo, ne aduersariorum mobiles turres super emineant, & ciuitatem capiant.

Necessaria
obfessis.

§. 4. Ciuitates eruptionibus opportunis maxime seruari possunt, quæ cum non possunt paribus viribus fieri, arte iuuanda sunt; Plerumque enim obfessi aut numero, aut viribus inferiores sunt. Cum itaque erupturi sunt, id agere oportet, ut minime erupturi videantur, Romani cum Panormum tene-